



**ELTE BTK**  
**ÓKORTUDOMÁNYI INTÉZET**  
**LATIN TANSZÉK**

**ARPINÓI NEMZETKÖZI CICERO-**  
**VERSENY**  
**HAZAI VÁLOGATÓJA**

<http://abeljeno.uw.hu/>



### **Cicero a szóközi elbeszélés rövidségéről**

Brevis erit narratio, si, unde necesse est, inde initium sumetur et non ab ultimo repetetur, et si, cuius rei satis erit summam dixisse, eius partes non dicentur - nam saepe satis est, quid factum sit, dicere, ut ne narres, quemadmodum sit factum - et si non longius, quam quo opus est, in narrando procedetur, et si nullam in rem aliam transibitur; et si ita dicitur, ut nonnumquam ex eo, quod dictum est, id, quod non est dictum intellegatur; et si non modo id, quod obest, verum etiam id, quod nec obest nec adiuvat, praeteribitur; et si semel unum quidque dicitur; et si non ab eo, in quo proxime desitum erit, deinceps incipietur.

Ac multos imitatio brevitatis decipit, ut, cum se breves putent esse, longissimi sint; cum dent operam, ut res multas brevi dicant, non ut omnino paucas res dicant et non plures, quam necesse sit. Nam plerisque breviter videtur dicere, qui ita dicit: "Accessi ad aedes. Puerum vocavi. Respondit. Quaesivi dominum. Domi negavit esse." Hic, tametsi tot res brevius non potuit dicere, tamen, quia satis fuit dixisse: "Domi negavit esse", fit rerum multitudine longus. Quare hoc quoque in genere vitanda est brevitatis imitatio et non minus rerum non necessariarum quam verborum multitudine supersedendum est.

*(De inventione 1, 20, 28)*